
Nr. præs. 7.




NOS

JOSEPHUS ALOJSIUS

Dei et Apostolicæ Sedis Gratia Episcopus

TARNOVIENSIS

Commendator Ordinis C. R. Austr. Francisci Josephi &c. &c.



Venerabili Clero Salutem et Benedictionem!

Perculsi tristissimo nuntio, quod Provincia una per turbatores jurium ą Patrimonio S. Petri avulsa; quod similis calamitas ab iisdem hostibus sacrae reipublicae struatur, quodq idcirco præsens Successor S. Petri ac Hæres Patrimonii tantopere ad conservandam Primatus majestatem nec non ob utilitatem tot orbis Catholici populorum necessarii, destitutus copiis, quarum armis vim vi repelleret, verbis duntaxat energicis contra ejusmodi nefarios ausus protestatur, et ob tantas in navigium S. Petri procellas, ad Patrem misericordiarum ingemiscendo, illacrimatur. Nos filii Patris Urbis ac Orbis, injuriis his manifestis, indignantes, ut dolorem aliquantulum liniamus Patris nimis afflicti, **Contestationem addictionis et fidelitatis,** nomine Nostro, Venerabilis Capituli ac Diœceseos totius ad pedes SS. Papæ Pii IX. devolvimus, cujus tenor est sequens:

SANCTISSIME PATER!

Vivimus quidem frigidori sub cœlo; cor tamen nostrum ardet dolore in adversis, ardet gaudio in prosperis Ecclesiae Catholicæ rebus. Quemadmodum Occidentalis Europae Antistites testati sunt, aegro se animo accipere injuriam, quam sæculi iniquitas Sanctae Sedi inferre intentat; ita et nos exigua pars magnae olim et semper Vicariis Christi fidelis Poloniae, (Tarnoviensem ajunt Diœcesim) illacrimante Christianitatis Patre, tantae filiorum suorum levitati, et ingratitudini, ingemiscimus et moerore conficimur. Plorandum vere est cum Pro-

pheta, quod homines a veritate aberrantes, Sionem novam, Urbem fortitudinis nostrae, Principem Provinciarum, Dominam gentium, et Magistram omnis veritatis, Romam turbare praesumant, et suo decore, sua majestate spoliare non vereantur.

Levius sentitur vulnus, telis, quae de alienis vibrantur castris, inflictum; quid enim ab hoste non timendum? sed et illis, qui sub paterno, suavique **Sanctitatis Vestrae** sceptro, pingui nutriuntur pane, frementibus, in unum convenientibus, ut adversus Christi Unctum meditentur inania, tam nefarios impiosque ausus quis sani sensus non damnabit, quis non detestabitur?! Adeone facile obliviscantur eorum, quae unus ex illis, de Cathedra publica professus est, docendo: Pontificatum Ecclesiae Catholicae nutu divino Romae fixum, omnem Italiae gloriam, et salutis praesidium constituere?!

Sidus illud divinum non solum Italiam illustrat et fovet, verum etiam totum in Orbem terrarum salutare lumen suum diffundit. Quidquid admiramur vere magnum, vere decorum, quod humanitatem nobilitat, libertatem sanam tuetur; id nonnisi Sedi Apostolicæ, in acceptis referendum est. Inde omnis veritatis, et justitiae fundamentum; inde juris et melioris ordinis institutionem, inde tutelam et levamen illis, qui impune posse opprimi putabantur, repeti oportere, paginis historicis testimonium dicentibus, quis negare audebit? Multa sunt et adeo multa, ut hic edici nequeant, quibus variis temporibus Polonia Ritibus Romanis adscripta, a Sancta Sede ornabatur; eminentius est cæteris, quod Roma vigilante, laborante, aspero frigidioris Aquilonis afflatui subtracta, cum civiliori et cultiori Europa, in unum coaluerit corpus et propugnaculum Ecclesiae Catholicae facta, ferocibus Orientis impetibus sese opponendo gloriosis inclaruerit triumphis.

Antiquis olim regulis, ut tradunt Patres Africani ad beatae memoriae S. Theodorum Episcopum Romanum, sancitum fuit, ut etiam in remotis, et longinquis Provinciis nihil decidatur, et tractetur, nisi prius ad Almae Sedis notitiam delatum fuisset; his diebus novatores pertaesi Magistrae, qua moderante humanum genus et pace et prosperitate fruebatur, tantum se sapere existimant, ut Cathedrae Petri consilia sua obtrudere, et reformatorum quadam auctoritate sibi arrogata, in negotia ejus involare audeant! Cui et quando profuere molimina contra Romam, sine Roma suscepta? An quod divinum, humanis consiliis emendari possit?

Sanctissime Pater! Admissis in loco Sancto desolationis signis, laesis in minimo Primatus Catholici juribus, visa desolatione in Regno Christi, Orbis Catholicus deflendo hanc calamitatem, suis immergeretur lacrimis! Id intendunt, qui naufragio circa fidem facto, contra nos militant, idque suis principiis arridere, manifestum est. An vero illi, qui in sublimitate positi, catholico saltem nomine gaudent, advertant, quo tendant, justum suboritur dubium. Quadam inordinata aviditate ducti, impetunt in Patrimonium S. Petri, cui tuendo plura decem

saeculis, jus dicunt, subruere tentant, tantae sanctitatis et antiquitatis solium, unde suae dignitatis sanctionem derivari ignorare non deberent. Viderint, an suo commodo, an suae causae hac agendi ratione patrocinentur! Viderint, quomodo id, quod suum esse volunt, defendant! Heu! male stat, male contra pravas machinationes ratione defenditur, quod nonnisi superna unctione venerabile efficitur et firmum! Huic traditioni renuntiaturi adeo in profundum ruunt, ut in principatu temporali, nihil, nisi terrenum conspiciatur. Moto angulari lapide, turbatis fundamentis, corruat, necesse est, totum aedificium. Incredibile apparet, quod Gallia, exordio Imperii sui tam sancte mundo pacem pollicita; tantis motibus excitandis videatur (utinam videatur) praebere ansam; numquid primogeniturae juribus insignis, ausura sit prodigum filium in substantia patris sui agere?

Eo poenam Dei in filios ingratitudinis insinuari cernimus, quod spreta temporis acti experientia susque deque habere velint cuncta instituta etsi divina. Huic morbo sanando, quod efficacius remedium, nisi supplices ad Deum misericordem tollere manus, ut tempus visitationis abbrevietur, et discussa errorum nube, et sedatis inde se evolventibus procellis, sol justitiae, tranquillitatis et laetitiae oriatur! Nos cum populo antiquae pietatis tenaci, Sedique Apostolicae addictissimo ardentissimis Coelos pulsamus precibus, et speramus, Cor paternum **Sanctitatis Vestrae** in his angustiis brevi dilatatum iri. Quamdiu mundus titubabit? quis hoc dabit mortalium? sed ne voragine, sua culpa parata deglutiatur, salutis suae stellam polarem respiciet Romam. Pater omnis luminis erudiet et intelligere faciet Reges ea, quae ad pacem et salutem eorum sunt. Quemadmodum olim, Roma loquente, universus ad ordinem componebatur Orbis, ita et modo inter medios aestuantis maris fluctus, Petra, supra quam Christus Ecclesiam aedificavit, nec infernorum potestate vincendam, stabit, et Vicarius Christi Domini leges fidelibus dabit, atque juxta eflata divina in finem saeculorum nutantia fratrum suorum corda diriget, et confirmabit.

In eo omnis consolatio nostra, eo tendunt Vota nostra! Hac spe freti precamur, ut ejus svavitate **Sanctissime Pater!** recreeris, et diu, diu Ecclesiae Dei incolumis vivas. Hoc sensu affecti maximo cum pietatis et venerationis cultu, ad **Sanctitatis Vestrae** pedes provoluti benedictionem apostolicam expetimus, sumusque **Sanctitatis Vestrae** devotissimi filii, et servi obsequentissimi.

Tarnoviae 9. Januarii 1860.

Insuper **Memorandum** ad Congressum Parisiis celebrandum paravimus, in quo et exorbitantes osorum religionis nec non pacis ausus, et funestas jurium hæreditariorum aggresionis sequelas tetris coloribus non solum depinximus, verum et necessitatem conservandi Patrimonium S. Petri firmis argumentis exhibuimus, obtestantes respectivos Repræsentantes, quatenus æquitatem ac justitiam erga Patrimonium S. Petri pro basi ponere adlaborent.

Deniq Vener. in Christo Fratres! bene nostis, manifestationem luctus, aut protestationem,

obtestationemve nedum sufficere ad profligandos tantos sacrae reipublicae hostes.. opus esse armis. Ecclesia, uti diximus, non habet arma, nisi preces coelum penetrantes, atque vim veritatis, cui mortalium nullus omnino ac semper animum occludere valet. Quum armis ex aere destituamur, arma ex corde arripiamus, orationes videlicet continuas mittamus ad Ipsum, qui edixerat: portae inferi non praevalebunt adversus eam. Exemplo nobis sit ecclesia primæva Hierosolimitana, a qua, ut legimus in Act. ap. C. XII. oratio fiebat sine intermissione.. ad Deum pro Principe Apostolorum, qui ab Herode missus erat in carcerem, et in eo servabatur, ast misit Dnus Angelum et eripuit eum de manu Herodis.. ob fervidas fidelium preces &c. Nostis Fratres Dilectissimi! funestam patrimonii faciem sub Pio VII, imo sub eodem Pio IX. verum Pater misericordiarum suspiriis fidelium flexus id ad pristinum reduxit statum. Junctis igitur fletibus ac precibus ut gratissimi filii conemur propulsare calamitates a Patre Nostro Clementissimo, imo ab universa ecclesia. Nos in ecclesia Cathedrali jam celebravimus devotionem hunc in finem solennissimam; nunc restat, ut similis fiat per Dioecesim. Ordinamus igitur, ut

1. proxima aliqua Dominica pro simili devotione eligatur, quae attamen praevie populo fideli annuntietur, qua Dominica celebretur summa pro conversione osorum religionis Catholicae et pacis, praesertim patrimonii S. Petri.. E suggestu autem depingantur calamitates ecclesiae et in specie regno pontificio imminentes, prout e plagellis publicis innotuerunt, quibus fidelis populus et ad commiserationem et ad supplicationem concitetur.

2. Post hancce Missam votivam, coram exposito Sacramento in pixide Litaniae de B. V. Mariae, cujus immaculatæ Conceptionis Papa Pius IX. maximum propugnatorem assertoremq. se exhibuerat, decantentur; oratio pro Papa, atq. Orationes: Modlitwy w powszechnéj potrzebie całego chrześciaństwa, quae in libro: Książka dla użytku paraf. kościołów. pag. 62. 63, 64. reperiuntur, clara voce recitentur; postmodum supplicationes: Ś. Boże... canantur; deniq. benedictio consueta detur, sub decantatione adæquati hymni.

3. In eadem exhortatione commendetur fideli populo, ut porro quotidie recitet ad intentionem eandem 1. Pater et 1. Ave cum Gloria Patri, quemadmodum jam prædisposueramus in Cur. XI. a. e. sub N. praes. 146.

4. Quisque Vestrum Venerabiles Fratres! penes Missam quotidie, quando Rubricæ id permittunt, **Collectam** pro Papa sumat. &c. &c.

Utinam dierum nunc bachanalium laetitia temperetur luctu ob vulnera, quae SS. Patri Nostro, imo toti Ecclesiae infliguntur; dies hi sanctificentur potius suspiriis, deprecationibus, mortificationibus, ut Dominus, cui etiam venti et mare obediunt, navigium Petri undique fluctibus quassatum salvare, principia perversissima quoad stabiliendum novum inter Principes ordinem, juxta lancem juris fortioris &c. radicitus evellere atq. efficere dignetur, ut Crux de Cruce mox replendescat titulo: **Victoria....** dum consternati filii in universo dispersi orbe clamitant quasi ex uno ore: Domine! salva nos, perimus.

Dabamus in Palatio Eppali Tarnoviæ 22. Jan. 1860.

Josephus Alojsius,
Episcopus Tarnoviensis.

Typis Anastasii Rusinowski Tarnoviae. 1860.